



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XIV. Græcos Poëtas se aversatum, ob linguæ peregrinæ  
difficultatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**



implere, est tempus male perdere, & meliora negligere.

3. Tum hoc tum aliis locis egregie ostendit S. D. quomodo ex profanis literis spirituales fructus colligere possimus. Quam salubriter ab erroribus Æneæ transit ad errores suos, à morte Didonis ad mortem animæ suæ, & inordinatum creaturarum amorem! quam egregie l. 5. de civitate Dei c. 18 ex historiis illustrium Romanorum Christianos adhortatur ad fugam jactantiæ? Discant hinc Magistri similia sibi & discipulis suis ex profanis studiis decerpere, eosque ad eandem suâ sponte cogitanda assuefacere, sic ipsi utilius docebunt, & discipuli rectius discent.

## CAP. XIV.

*Græcos Poetas se aversatam ob linguæ peregrinæ difficultatem.*

1. **C**Ur ergo græcam etiam Grammaticam oderam talia cantantem? Nam & Homerus peritus texere tales fabellas, & dulcissime vanus est: mihi tamen amarus erat puero. Credo etiam græcis pueris Virgilius sit, cum eum sic discere coguntur, ut ego illum; videlicet difficulter. Difficultas omnino ediscendæ peregrinæ linguæ, quasi felle aspergebat omnes suavitates græcas fabulosarum narrationum. Nulla enim verba illa noveram: & sævis terroribus ac pœnis, ut nossem, instabatur mihi vehementer. Nam & latina aliquando (infans utique) nulla noveram; & tamen advertendo didici, sine ullo metu atque cruciatu, inter etiam blandimenta nutricum, & joca arriudentium, & lætities alludentium.

2. Didici vero illa sine pœnali onere urgentium, cum me urgeret cor meum ad pa-



xienda concepta sua: quæ non possem, nisi aliqua verba didicissem, non à docentibus, sed à loquentibus: in quorum, & ego auribus parturiebam, quicquid sentiebam. Hinc satis elucet, majorem habere vim ad discenda ista liberam curiositatem, quam meticulousam necessitatem. Sed illius fluxum hæc restringit legibus tuis Deus; legibus tuis à magistrorum ferulis usque ad tentationes martyrum; valentibus legibus tuis miscere salubres amaritudines, revocantes nos ad te à jocunditate pestifera, qua recessimus à te.

## V S V S.

Necessitatem legum pulchre colligit, ex fluxu humanæ instabilitatis, quæ nec constanter, nec fortiter fertur in honestum & utile. Ideo divina providentia leges instituit, quibus non solum pueri metu ferulæ, sed adulti quoque aliarum pœnarum timore, omnes autem terrore gehennæ in officio contineamur.

## C A P. XV.

*Orat, ut quidquid utile puer didicit,  
Deo seruiat.*

1. **E**Xaudi Domine deprecationem meam, ne deficiat anima mea sub disciplina tua; neq; deficiam in confitendo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me ab omnibus viis meis pessimis: ut dulcescas mihi super omnes seductiones, quas sequebar, & amem te validissime, & amplexer manum tuam totis præcordiis meis, ut eruas me ab omni tentatione usque in finem.

2. Ecce enim tu domine rex meus, tibi seruiat, quicquid utile puer didici, tibi seruiat,